



XI, 85.





Epicedia academica Vitebergensia  
1572 - 1661.



*Faint, illegible handwriting at the top of the page.*

*Faint markings on the right side of the page, possibly a signature or initials.*





1 4

EPITAPHIA  
IN OBITVM PI-  
VM ET FELICEM, PIETA-  
TE, ERVDITIONE ET VIRTUTE OR-  
NATI IUVENIS IOHANNIS MERCNE-  
ri Regiomontani, qui in vera confessione  
& inuocatione filij Dei placidè obiit  
Vvitebergæ XXV. Iulij  
ANNO Christi

1572.

SCRIPTA

AB AMICIS



VVITEBERGÆ  
Excudebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne.

ANNO M. D. LXXII.






u  
218





RECTOR ACADEMIAE  
VVITEBERGENSIS SEBASTIANVS THEO-  
*doricus Philosophiæ & Medicinæ Do-*  
*ctor & Professor.*

 Nte annos tres IOHANNES  
MERCNERVS natus in  
monte regio Borussix ex Acade-  
mia patriæ suæ, & discendi occasionibus  
domesticis in nostram Academiam pro-  
fectus est, vt Theologiæ studia prosequeretur,  
cumq; in patria Illustrissimæ Principis sui  
ALBERTI Ducis Borussix &c. sumptibus in literis  
educatus esset, Illustriss. patris benignitatem  
erga optimum & felicissimè discitem iuuenem  
continuauit & auxit Illustriss. filius ALBERTVS  
FRIDERICVS &c. à quo liberale stipendium ei  
datum, & ad plures annos promissum fuit.  
Minimè autem vulgari-ter proficiens, expectationem  
præclaram de se commouit omnium, & iam etiam  
ad operam nauandam Ecclesiæ Christi  
A ij matu-



maturuerat. Sed Deus eum occulto iudicio suo sub initia noctis præcedētis diem hodiernam ex hac vita euocauit. Quod cum dolore nostro experimur de multis talibus ingenijs fieri hoc tempore, vt sp̄ hoc bonam de educatione bona & recta in literis & pietate Christiana posteritatis nostræ non possit non admodum debilitare, & metus caussa afferatur maxima nõ suppetituram magnam copiã deinceps idoneorum hominum, qui sciant verbũ Dei ὀρθοτομέω vt Apostolus loquitur, quod omnino ab hoc Mercnero expectari potuit. Itaq; mortis eius nuncium omnes perturbabit, qui eum nouerunt, & inprimis clarissimos nostricq; amantissimos viros D. Daudem Voitum Theologiæ, & Matthiam Stoium Medicinæ Doctorem, quibus duob. præstantissimis hic Mercnerus studia sua probauit, qui & ad ingenium eius alendum & educandum multum contulerunt. Cum ingressus aut esset climacterem septenarium quartum circiter Idus Iunias, statim ominari sibi mortem



mortem cœpit, & paulò pòst in morbum incidit, quo per hebdomadas iam sex decumbens, superiore nocte confectus est. In pietate verò & doctrina Christiana, quid profecisset etiam toto morbi tempore, & sub hunc vitæ exitum multis argumentis demonstravit, & sermonibus atq; commonefactionibus salutaribus se & alios instruxit. Efferetur autem hodie hora quarta ex ædibus vicinis Decani Collegij Philosophici D. M. SALBACHII & c. quo tempore & loco vt conuenire ad deducendum funus doctissimi iuuenis scholastici velint, eos hortamur. PP. VII. CL. Sextil.

E P I T A P H I V M.

**T** *Vta sub hoc tumulo MERCNERI membra  
Quem felix ortu terra Borussa tulit. (quiescunt,  
Hic vbi Leucorea requiescunt plurima in vrbe  
Corpora, supremo viuificanda die.  
Principis ALBERTI sumptu Natiq; patrisq;  
Miles in Aonidum cœtibus acer erat.  
Fortiter inuigilans studijs, & rebus honestis  
Integrum Sophiæ mente notarat opus.  
Præterea solers linguaq; in vtraq; disertus,  
Iunxerat Ausonijs verba pelasga notis.*

*A ij*

*Præ*



Præcipuè didicit sacrati dogmata verbi,  
Quaq; Deus voluit se ratione coli.  
Huic sola in Domino spes & fiducia CHRISTO  
Firmiter immoto pectore fixa fuit.  
Corde Deum reuerens lingua est animoq; professus,  
Congruit & pietas moribus apta bonis.  
Æstibus hei nimis & feбри victus anhela,  
Tradidit æterno seq; animamq; Deo.  
Spiritus æthereas subiens resolutus ad arces  
Conspectu fruitur colloquioq; DEI:  
Corpus at hic placida compositum pace quiescit,  
Aduentum expectans optime Christe tuum.  
Tunc vbi Te cum Patre tuo, cum Flamine sancto,  
Æternos dabitur concelebrare dies.

M. Martinus Henricus.

LACHRYMÆ AD TVMVLVM IO  
ANNIS MERCNERI REGIOMON  
TANI BORVSSI.

MERCNERVS iacet hoc loco sepultus,  
Virtute ingenio & vir arte præstans:  
Quem mors ante diem nisi abstulisset,  
Atq; astris Deus hunc nisi intulisset,  
Forsan in patrias vocatus oras,  
Te mons Regie, teq; Prussia olim  
Fide, & religionè puriore  
Imbutam, in meliusq; iter redactam,  
Disertè docuisset, erudisset,

Rectè



Rectè verba secare veritatis  
Quid sit, quid mutilare veritatem.  
Hic candore priusue sanctiusue  
Ducebat nihil: & nihil putabat  
Pura religionem, veritateq;  
Optandum magis & magis petendum.

Ergo via fuit peracta qualis,  
Talis mors etiam secuta vitam est.  
Nam dum languidulos febris per artus  
Sensim reperet, imaq; ossa sensim  
Calor linqueret, has preces profudit:

Nunc me respice, nunc dolore fracto  
Adsis, & fer opem DEVS benigne.  
Quassat namq; mihi intimas medullas  
Longi seuitia heu nefanda morbi.  
Dum quidquam est animæ benigne Christe,  
Te solum venerorq; diligoq;  
Vulnerumq; recordor vt tuorum:  
Sic tibi moriar tibiq; viuam.  
Si tibi moriar tuus manebo,  
Æterna & mihi vita post manebit.  
Nunc supremam animam hanc benigne Christe  
Accipe, inq; sinum tuum repone,  
Hanc, hanc eia animam, vltimumq; flatum.

Vix hæc dixerat, in sono reliquit  
Quod mortale fuit, quod & caducum:  
Pars sed maior ad astra cessit alta,

Conspectu



Conspectu & fruitur DE I potentis.  
Qui recti fuit atq; amator equi.  
Monte in candidulo ergo nunc quiescit,  
Cum luctu & gemitu omnium piorum.

Qui nôrit placidè pieq; functum,  
Hæc dicet (scio) Christianus omnis:  
Ex hac valle abiens periculorum  
Albo in monte sepultus ille dormit,  
Cui mors vita fuit, lucrumq; magnum.

Daniel Hermannus Nidbur-  
gensis Borussus.

Ἐ Π Ι Τ Ἀ Φ Ι Ο Ν .

Μορηνῆς ἠλίοιο  
λίπερ φάσ βιαρκές:  
χαμαιγυῆς δὲ τάυτης  
ἐπὶ γῆς τὸ σῶμα κῆτα.  
ἢ δ' εὐσεβῆς κ' ἀρίστας  
διδασχῆσιρ ἠθεσί τε  
ψυχῶ ἐλὼ πυκαθεῖς.  
ἐν ἰοραῖς γραφαῖσι  
νεότητα τλησίμοχθορ  
ὄδ' ἄσκεερ, ἢ ἐκείνωρ  
γνώμηρ μέμηλε γνῶνα.  
τῷ δ' ἀσέρωρ πορείας  
πυκινὰς καλῶς εἰοιδε  
φοῖβα δὲ καὶ σελήνης  
ἐγκύκλιον δρόμημα  
ἐδάη σαφῶς ἐρευνᾶρ.  
ὑμεῖς δὲ πατριῶτα  
ἡμεῖς θ' ὁμοτράπεζοι

τοῖς ἰμορῶ βίοιο  
ἔτι χρόνῳ λείπεται,  
οὐχ ἡμέωρ ἔτ' ἀκταῖς  
ἠδ' υθεροῖσι μύθοις  
ἢ βαρβίτω λυρώδα  
δέλξαερ αὐτός, ἀλλὰ  
τί δ' ἢ καδ' ἐρ μιμνήσκω,  
οὐ μοι δένῳ γὰρ ἄλλας  
μορηνῆς ἄρ μλωινὰς  
ἀριπρεπές λέγεοθι.  
ἐθέλοντα δ' ἐν βίβλοισι  
δεοφραδέσι πολλῶν  
μελέτω, χρόνον τε πλείω  
τρίβαρ, θεός κάλεσερ,  
ὡς ἀγγέλοις ὁμιλῆρ.  
ὡς μήσε μῶνον ἔχη  
μορηνῆρε μὲν δεωρῆρ:  
ἄταρ ἢ ἀνακρηθῶνα,

μῆ



μη μόνον εἶ μάθισ' α,  
αὐτὰρ παθεῖν μάλιστα.  
πᾶς ἕς δὲ ταῦδ' ὀδίτης

βλέπων λέγοι : γαλκῶς  
τὸ σῶμα νεκρὸν εὐδοί.

Ioach: Georg: Halberstadensis.

EPITAPHIVM ANNI NVME-  
rum comprehendens.

MerCnerI hæC CIneres saCros tenet Vrna beati,  
SpIrltVs at sese In regna saCrata tVLIt.

QVERELA DE INCONSTANTIA  
vitæ humanæ, & quæ sit eius caussa.

**H**EI mihi quàm varijs vita est obiecta periclis,  
Hei mihi quàm subitis casibus acta ruit?

Non aliter quam si rapido moueantur ab Euro,  
Aut si curuata lilia falce cadant:

Sine vagis veluti Nauis iactata procellis,  
Illisa æquoreis rupibus inde perit.

Scilicet humano diras pro crimine pœnas  
Deposcut iusti Numina sancta Dei.

Ira ergò flammante Deum consumimur, & nos  
Ante diem feruens obruit iste furor.

Hæc pariter lætam transfigunt tela iuuentam,  
Sunt pariter senibus noxia tela viris.

Omnibus, ad summam, tam durum hoc voluere saxum,  
Quot sumus his terris, sors inimica dedit.

Omnibus ( ah miserum ) moriendum est, omnibus ergò  
Vnica perpetuæ cura salutis erit.

Nam subito rumpunt diræ sua stamina parca,  
Et cum non credas Mors inopina venit.

B

Vt



*Vt Mercnere tuas iuuenili è corpore vires  
Abstulit, & nimium mors citò te rapuit.  
Verùm dum CHRISTO Domino seruatus ab ipso,  
Concinis Angelico Carmina leta choro:  
Hunc tibi nos tantum meritò gratamur honorem,  
Queis olim in simili det Deus esse statu.  
Certum etenim, post pauca aliquot fore secula tempus,  
Cum veniat nostras Mors quoq; nigra domos.  
Sic MERCNERE vale, tenuesq; hos accipe versus,  
Quos mea Musa quidem, sed rudis illa, dedit.  
Hinc tua cum dulci decoramus funera flore,  
Quod verum veri pignus amoris habe.  
Adrianus Pauli Dantisc:*

AD PIOS MANES D. IOHAN-  
NIS MERCNERI.

*E* Heu quam rapido labuntur tempora cursu,  
Quam breuis innumero vita dolore ruit.  
Nil valet his properis fugitiui temporis horis  
Ferre moras, rapidam nec cohibere necem.  
Totam pręgnanti metitur stamine vitam  
Clotho, importuna cuncta rapitq; manu.  
Humanam reputans nullo discrimine sortem,  
Aut vlla insignem conditione statum.  
Sive quis è veterum satus alto stemmate regum,  
Sive loco obscuri pauperiore viri:  
Sive quoq; Aonias exhausit fluminis vndas,  
Cum diuis docili certet vt ingenio:

Omni



Omnibus est innanda nigrae Styx ima paludis,  
Tendendum gelidæ flebile mortis iter.  
Sic ne iaces properæ prærepto tempore vitæ,  
O Mercuere tui flos generose patris.  
Cum quarti inuisum vix climacteris ad annum  
Veneris, ad vitæ tempora iniqua tua,  
Hei tibi floriferis nimium te læsit in annis,  
Atropos infestis parca seuera malis.  
Dum sæuo immitis cecidisti funere fati,  
Funere proh rigidæ perproperante necis.  
De te nam chari spem concepere parentes,  
Dulce senectutis subsidiumq; suæ.  
Spectantes animi celebres in corpore dotes,  
Indolis excellens indiciumq; tuæ:  
Quod vegetæ in primis tenero sub flore iuuentæ  
Illuxit, varijs eminuitq; modis,  
Omnis enim steterat charorum cura parentum,  
Te morum studijs erudiendo pijs.  
Pectore dum virtus, annis sapientia maior  
Crescebat, castus cum probitate pudor,  
Multarum ornatus cœlesti semine rerum,  
Imbutus veri cognitione Dei.  
Sic equidem vt longè donis maioribus auctus  
Viceris antiquos relligione Sophos,  
Iustus Aristides memoretur, seu Palamedes,  
Sive Plato sapiens, vel Sacer ipse Numa.  
Nam λόγος ipse patris verum hoc in pectore cultum  
Accendit, verbi notitiamq; sui:

Bij

Quod



Quod secum rutili tulit alto è vertice cœli,  
Ex gremio æterni testificando Patris.  
Hoc veræ summum credebas esse salutis  
Finem, sic aliam nec superesse viam:  
Qua scimus sola cœlestia gaudia vitæ  
Intrare, Elysia regna beata plagæ.  
Quare diuini tractantem semina verbi  
Et vera imbutum cognitione Dei:  
Non piguit multos te absumere in artibus annos,  
Et Sophiae studijs inuigilare bonis.  
Quò magis excoleres, solertis acumina mentis,  
Argutum ingenij iudiciumq; tui.  
Ergo Leucoream properanter ad Albidos urbem  
Venisti, Albiacæ docta Lycaea scholæ:  
Quà celebres resonant dulci modulamine Musæ,  
Et Graia & Latia pleetra sonora Lyrae.  
Puraq; doctrinae purgata Ecclesia neuis,  
Diuinum spargit luce micante iubar.  
Hic rursus ingenuas dederas te totus ad artes,  
Propositi repetens dulce laboris opus.  
Ac primum Euclidis binas tibi tradidit alas,  
Metiri, & docta dinumerare manu.  
Vnde Planetarum poteras inquirere motus,  
Et conferre vagi climata cuncta poli.  
Quicquid & humanos natura ferebat ad vsus,  
Erueras docta sæpè laboris ope.  
Inclita nec deerat tibi linguae utriusq; facultas,  
Attica seu libuit, siue latina loqui.

Quam



Quam tacitis animi curis, multoq; labore  
Nactus es, ingenij dexteritate tui.  
Qua tandem ad riuos fontis spirare salubres  
Cœpisti, æterni discere sacra Dei.  
Verum suscepti sistens in tramite cursus,  
In studij vero propositoq; tui:  
Correptus nimij præacuta febre caloris  
Ipse subis vitæ fata suprema tuæ:  
Cum dulci poteras patriæ prodesse, tuisq;  
Afferre officijs conuenienter opem.  
Verum ita spem tollis, desideriumq; relinquis,  
Sic genus afflicti despoliasq; patris:  
Dum tibi sidereum patria est dulcissima cœlum,  
Nec non æternis gaudia plena bonis:  
At nobis restant squalentis tristitia mundi  
Secula, perpetuæ nos lachrymæq; manent.  
Donec tempus erit, qua consuetudo vicissim  
Nos tibi stellati iunget in arce poli.  
Ver vbi perpetuum est, indefessæq; choreæ  
Læticia, & vitæ gaudia vera nouæ,  
Gaudia non vllos mixtos habitura dolores,  
Gaudia pacificos sed sine fine dies.  
Illic candentis renouato corpore formæ  
Cernemur solis vincere, lane, iubar,  
Aurea saluifico pangentes carmina Regi,  
Carmina dulcisonis tum soluenda modis.  
Sed nolite pij natum deflere parentes,  
Nec lacrymis vestras saepe rigare genas,

B ij

Si



*Si possent reducem defunctis reddere vitam,  
Iam foret huic lacrymis reddita vita meis.  
Nil iuuat immodicus defuncta cadauera fletus,  
At viuis talis dat nocumenta dolor.  
Si flendum est: hominum misera primordia vitæ  
Par est: non rigida tempora flere necis.  
Viuite felices, natoq; referte salutem,  
Non perijt, cæli sidera viuus habet.*

*Sebastianus Colmitz Libstadien-  
sis Borussus.*

**CONSOLATORIVM CARMEN D.  
Iohanni Mercnero iam morituro scriptum.**

**[***Nuida mors vnam nostro molitur amico:  
Heu dolor hunc linguam qui mihi charus erat?  
Ab si fata volunt, hora moriamur in vna:  
Inter defunctos nos tegat vna domus.  
Sed mea spes fallax, mea sunt hæc irrita vota,  
Est mihi nam vasti sors subeunda maris.  
Exemtum tristi te te vult chare Ioannes  
Exilio, summus qui regit astra Deus.  
Angelus hinc igitur te portet ad ostia cæli  
Æthereus, Christi parta cruore pijs.  
Tu felix opibus summis, bis terq; beatus,  
Qui nunc perpetuas iustus habebis opes.*

*Erasmus Köselerus Regio  
montanus.*

*Alind*



*ALIVD.*

*C*ynthius arentis peragrabat terga Leonis,  
Atq; suo siccos igne premebat agros.  
Cum tua Iane suo præcidit fila furore  
Quæ solet haud ullis parcere parca viris.  
Sed pius has miseras vitæ cum liqueris auras,  
Cum fuerint Christi corda repleta fide:  
Non potuit sæuis tibi mors nocuisse sagittis,  
Non potuit technis Dæmon obesse suis.  
Quin tulit optatam vitæ iactura salutem  
Ad vitam verè mors tibi porta fuit.

*Ioannes Cesselius Regio-  
montanus.*

*ALIVD.*

*D*um studijs inhians primis Mercnerus ab annis  
Concitus intrepidus ad sacra fertur equis:  
Albiacas adiit Musas: ubi numine dextro  
Cælesti sitiens proluit ora vado.  
Vt verò in terris multas superesse tenebras  
Vidit, & obscura plurima nocte premi:  
Æthereas vltro moriens concessit in oras,  
Orantem vt cælis audiat ipse λόγος.

*Iacobus Fabricius Dantis.*



ALIN D.

Carissimi mihi...  
Ad hoc...  
Cuncta...  
Quae...  
Sed...  
Cum...  
Non...  
Non...  
Quia...  
Ad...

Johannes Cesselinus Regio.  
Montanus.

ALIN D.

D<sup>ni</sup> in...  
Concilio...  
Abbas...  
Cesselinus...  
Ne...  
Videtur...  
Ad...  
Quoniam...

Johannes Fabricius Dantisc.





Zc 6247

ULB Halle 3  
004 953 630




TA/OL


M.C.












*EPITAPHIA*  
**IN OBITVM PIVM ET FELICEM, PIETATE, ERVDITONE ET VIRTVTE ORNATI IUVENIS IOHANNIS MERCNERI Regiomontani, qui in vera confessione & inuocatione filij Dei placidè obiit Vvitebergæ XXV. Iulij ANNO Christi 1572. SCRIPTA AB AMICIS**

  
*VVITEBERGÆ*  
*Excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.*  
ANNO M. D. LXXII.

